Digitized by Google

A. Gr. a.
2373

(Sophocles)
Karsten

Digitized by Google

DE

TETRALOGIA TRAGICA

ET

DIDASCALIA SOPHOCLEA.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

TETRALOGIA TRAGICA

ET

DIDASCALIA SOPHOCLEA.

LECTIO

HABITA IN INSTITUTI REG. BELG. CLASSE TERTIA

A

SIMONE KARSTEN.




AMSTELODAMI,

IMPENSIS JOHANNIS MÜLLER.

1846.

vv6. A.

Digitized by Google



TYPIS C. A. SPIN & FILII.

Digitized by Google

DE

TETRALOGIA TRAGICA

ET

DIDASCALIA SOPHOCLEA

SCRIPSIT

S. KARSTEN.

Ex Commentationum Latinarum Tertiae Classis Instituti Regii Belgici Vol. VII.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

TETRALOGIA TRAGICA

ET

DIDASCALIA SOPHOCLEA.

I.

Sophocles tragoediam ab Aeschylo excultam et ornatam perpolivit cum aliis partibus, tum eo quod fabulam artificiosius composuit, rerum peripetias auxit, personarum mores variavit, denique materiem justis circumscripsit finibus, ita, ut non idem argumentum per plures deinceps tragoedias continuaretur, sed singulis tragoediis singulae actiones continerentur. Quo factum est, ut unaquaeque Sophoclis tragoedia esset totum, suis numeris absolutum.

Ex hoc Sophoclis artificio aptum est id quod apud Suidam de eo relatum legimus: *καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν* [1]. Hoc Suidae testimonium in magna versatur criticorum controversia, deque ejus sensu et auctoritate eruditissimi viri, Goth. Hermannus, Boeckhius, Welckerus, Droysenus, alii, in diversas abierunt sententias. Neque res adhuc ita liquido explanata est, ut supervacaneum sit aliquid ad eam illustrandam velle conferre, praesertim quum quaestio illa latius

[1] Vid. Suidas, s. v. Σοφοκλῆς.

Digitized by Google

pateat quam primo adspectu videatur. Non enim de Sophocle tantum quaeritur, sed generatim, utrum illa aetate solis licuerit tetralogiis an singulis etiam tragoediis certare, atque adeo, utrum Sophoclis et Euripidis quae supersunt fabulae omnes pro tetralogiarum partibus, an, si non omnes, pleraeque saltem pro singularibus et integris dramatibus sint habendae.

Suidae verba si grammatice interpretari velimus, satis expedita videntur. *Ἀγωνίζεσθαι δρᾶμα πρὸς δρᾶμα* significat *in certamine tragico fabulam fabulae opponere* sive *singulis fabulis certare.* Nam *δρᾶμα πρὸς δρᾶμα* est quod nos dicimus, *stuk tegen stuk:* quo sensu *πρὸς* usurpari solitum, quando paria inter se opponuntur, comparantur, permutantur. Aeschylus Eumen. 556: *ἔπος δ' ἀμείβου πρὸς ἔπος.* Aristoph. Nub. 1379: *κἀντεῦθεν μὲν, οἷον εἰκός, ἔπος πρὸς ἔπος ἠρειδόμεσθα.* Plato Sophist. init. p. 217, D: *ἔπος πρὸς ἔπος ποιεῖσθαι τὴν συνουσίαν.* ad q. l. diversa miscuit Heindorf. Ex simili genere sunt haec: Sophocles Antig. 142: *ταχθέντες ἴσοι πρὸς ἴσους.* Herod. IV, 50: *ἓν πρὸς ἓν συμβάλλειν.* de qua locutione admodum frequenti vid. Ast. Animadv. ad Platon. Legg. I, c. 14, p. 81. Plato Phaedon. p. 69, A: *ἡδονὰς πρὸς ἡδονὰς καὶ λύπας πρὸς λύπας καὶ φόβον πρὸς φόβον καταλλάττεσθαι.* Huic *ἀγωνίζεσθαι δρᾶμα πρὸς δρᾶμα* opponitur *ἀγωνίζεσθαι τετραλογίαν,* ad quod convenienter praegresso tacite suggeratur *τετραλογίαν πρὸς τετραλογίαν.* Nequaquam autem opus est, quod nonnullis placuit [2], pro hoc corrigere *τετραλογίᾳ* vel *τετραλογεῖσθαι* vel *διὰ τετραλογίαν.* Sic Aristoteles de Arte Poët. VII, 6: *εἰ γὰρ ἔδει ἑκατὸν τραγῳδίας ἀγωνίζεσθαι, πρὸς κλεψύδραν ἂν ἠγωνίζοντο.* ubi *τραγῳδίας* rectius pro objecto verbi *ἀγωνίζεσθαι* quam, ut vulgo fit, pro subjecto accipias, ut sensus hic sit: »Si (certantes poëtae) in tragico agone *centum tra-*

[2] Ut Nackio ad Choeril. p. 9, visum est.

Digitized by Google

goedias exhibere deberent, ad clepsydram fabulas docerent." Schol. Aristoph. Pac. 835, de Ione Chio dicit: *φασὶ δ' αὐτὸν ὁμοῦ διθύραμβον καὶ τραγῳδίαν ἀγωνισάμενον ἐν τῇ Ἀττικῇ νικῆσαι.* Hinc in usu forensi usurpatum *ἀγωνίζεσθαι γραφήν, ἔνδειξιν. Τετραλογία* autem est commissio quatuor dramatum, quorum postremum erat Satyricum, argumenti perpetuitate aut aliquo saltem vinculo sive latiore sive angustiore cohaerentium. Itaque Suidae verba hunc habent sensum: Sophocles auctor fuit sive exemplum dedit moris non tetralogiis, ut antea, sed singulis tragoediis certandi. Illud autem *singulis* tragoediis non hoc dicit: quemque poëtarum *una* tantum fabula certasse; fabularum numerus his verbis non definitur; tantum dicitur, quicumque esset earum numerus, eas non *conjunctim*, ut in tetralogiis, sed *singulatim* exhibitas et *singulatim* judicatas esse.

II.

Huic testimonio sunt quae favent, sunt item quae refragantur. Notum est AESCHYLUM, ad quem hic spectari videtur, solitum fuisse sive tetralogias sive trilogias tragicas addita fabula Satyrica docere, quarum illustre monumentum exstat *ἡ Ὀρέστεια*; contra Sophoclis nulla nec trilogia nec tetralogia a veteribus memoratur. Ipsae illae tres fabulae, quae argumento cohaerent, *Oedipus* uterque et *Antigone*, seorsim et diversis temporibus editae sunt. Eatenus ergo Suidae testimonium cum rerum indiciis videatur congruere. Vicissim vero e tragoediarum didascaliis compertum est, Sophoclis aetate et postea item poëtas tragicos quaternis fabulis inter se certasse [3]. EURIPIDIS

[3] Vid. Welcker, Aeschyl. Trilog. p. 508—528. Hermann, de Comp. Tetral.

Digitized by Google

tres tetralogiae diserte memorantur, e quibus singulis singulae hodieque tragoediae sunt superstites, quae sunt *Troades*, *Medea*, *Alcestis*; et plures fuisse probabili conjectura colligere licet. Cum Euripide tetralogia item certavit XENOCLES; praeterea etiam paucorum aliorum quadripartitae didascaliae obscurius indicantur, in his PLATONIS, qui adolescens, ut ferunt, tetralogiae docendae periculum facere voluit, sed, cognito Socrate, derepente ab hoc consilio destitit et poësin mutavit philosophiâ [4]. Hinc igitur colligunt, tetralogias edendi morem non abolitum fuisse, sed perdurasse; si autem ceteri poëtae quaternas fabulas in certamen producere solerent, num credibile Sophoclem non item quaternas illis opposuisse? Veluti in agone tragico Olymp. LXXXV, 2, habito, in quo EURIPIDES docuit *Cressas*, *Alcmaeonem*, *Telephum* et *Alcestin*, hic secundas tulit, primas vero SOPHOCLES [5]; item in altero agone, Olymp. LXXXVII, 1,

---

in Opusc. II. p. 308, Droysen. Phynich. etc. in Kieler Studiën, p. 54. Fix Chronol. Eurip. praemissa Editioni Didot.

[4] Narratio haec, quae exstat apud Aelian. V. H. II, 30, aliosque, mihi admodum mira visa est. Scilicet drama, ut ferunt, jam ediscendum dederat histrionibus, quum derepente, audito Socrate, consilium abjecit. Ita non solum histriones, sed etiam magistratum et chorum et tribum suam est frustratus. Venit autem Plato in Socratis disoiplinam juvenis, secundum Laërt. III, 6, viginti annos natus; itaque, etiamsi certum aetatis tempus ad fabulas docendas non erat lege praestitutum (quae de vid. Ranke Vita Aristoph. p. CXCI sqq. Clinton in Fast. Hell. Prooem. p. LVI, sq.), maturius tamen hoc opus erat aggressus. Praeterea mirere in tam claro et singulari ingenio, ne titulum quidem dramatis esse servatum. Equidem, ut facile credo Platonem adolescentem tragoediam periclitatum esse, ita magnopere vereor ne tetralogia illa ficta sit ad similitudinem tetralogiarum illarum in qnas Platonis dialogos descripsit Thrasyllus. Vid. Diog. Laërt. III, 56. Accedit quod Laërtius, Apulejus et Olympiodorus tragoediae tantum mentionem faciunt, non tetralogiae. Vid. Meibomius ad Diog. Laërt. III, 5. Welcker Aeschyl. Trilog., p. 527.

[5] Vid. Argum. Alcest. Vatic. cf. Hartung, Eurip. restitutus, I, p. 169.

Digitized by Google

quo EURIPIDES dedit *Medeam, Philoctetam, Dictyn* et *Messores*, hic tertias tulit, secundas SOPHOCLES, primas EUPHORION [6]: in his igitur certaminibus num probabile est, Sophoclem inaequali fabularum numero adversus quaternas contendisse? Nonne ita imparibus armis esset congressus? Sed esto! in poëtis id fuerit concessum, quorum laus non tam numero versuum quam praestantia et arte censeretur; at histrionum et chororum, quorum non minor quam poëtarum in his agonibus erat aemulatio, inaequales certe partes et iniquum certamen fuerat, si alteri quaternis fabulis, alteri singulis, aut paucioribus saltem, certassent. Praeterea agones tragici erant ludi publici cum sacris conjuncti, quorum ordinem modumque publice praescriptum fuisse vix dubium sit; et choros instruendi munus erat quasi solenne tributum, quod ditiores cujusque tribus ex ordine praestare debebant, quod onus aequale omnibus esse oportuerit. Has ob caussas non credibile putatur, licuisse poëtis suo arbitrio dramatum numerum agonumve modum mutare, siquidem singulae vel binae tragoediae minorem sumtum et apparatum poscebant quam quaternae, et temporis spatium tetralogiae destinatum pauciorum fabularum mensuram excedere debuit. Hae igitur rationes Suidae testimonio videntur obstare, et potius adducere ad credendum, ne licuisse quidem Sophocli tragoediarum numerum immutare.

III.

Hinc multi verba Suidae aliter accipienda censuerunt, quasi hoc voluisset dicere: Sophoclem instituisse pro tetralogiis, sive

[6] Aristoph. grammat. in Argum. Med. Cf. Hartung, libr. cit. I, p. 328.

2 *

Digitized by Google

quatuor tragoediis *argumenti perpetuitate junctis*, docere quatuor fabulas *singulares*, diverso argumento. Ergo fabularum numerum agonumque modum eundem atque antea mansisse, ipsarum tantum compositionem mutatam esse. Ita intelligendo τετραλογίαν arctiore sensu, contra δρᾶμα πρὸς δρᾶμα latiore modo interpretantur. Explicatio haec, proposita a Welckero et nuper defensa a Droyseno [7], primo adspectu satis se commendat, diligentius tamen examinata vereor ut possit probari. Nam si usu receptum mansisset, ut quaternae fabulae inter se committerentur, quaternae judicarentur, quaternae coronarentur, etiamsi essent argumento diversae, hoc tamen non erat singularum tragoediarum certamen, non δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, sed quaternarum, neque τετραλογίᾳ recte potuit opponi. Idque eo minus, quod vocabulum τετραλογία usurpatum quidem est de fabulis vinculo quodam inter se junctis, haec tamen conjunctio non ita arcte definita fuit ut nonnulli opinantur [8]. Ipsae videlicet Aeschyli tetralogiae non omnes, sicut Orestia, argumenti perpetuitate cohaerebant, sed partim arctius, partim laxius erant copulatae, ut didascalia Persarum, continens *Phineum*, *Persas*, *Glaucum* et fabulam satyricam *Prometheum*, argumento parum inter se similes. Quodsi res ipsa non arcte definita erat, nec vocabulum, quod serius rei impositum est, tam stricto sensu usurpatum esse probabile est. Idque effici etiam potest e tetralogiis illis, in quas Thrasyllus, vel quisquis fuit, Platonicos dialogos descripsit, quarum sane non

---

[7] Welcker, Aesch. Trilog. p. 508 sqq. Eandem sententiam tueri studet in libro: die Griech. Tragödien, p. 83, ubi etiam dissentientium scripta indicantur. Welckero adstipulatur Ad. Schöll, Beitraege etc., laudatus ab illo ibidem, p. 1551. Droysen, die Tetralogie, in diario, Zeitschrift f. Alterthw., 1844, N°. 13 sq.

[8] Plus nimio hujus vocabuli notionem coarctat Droysen l.l. improbatus a Bernhardyo ad Suidam s. v.

Digitized by Google

omnium arctissima erat conjunctio [9]. Ergo qui erant fines, quibus tetralogia a qualibet quadripartita didascalia discerneretur? nedum altera alteri posset opponi! Ob has rationes interpretatio illa non potest probari, ut quae nec verborum sensui conveniat nec ad rem illustrandam quidquam fere conducat, quippe quum Sophocles hoc pacto nihil fecisset, quod non factum erat prius, neque adeo *ἄρξαι, auctor fuisse* illius moris dici posset [10]. E Suidae verbis nihil aliud effici potest nisi hoc, quod jam Kusterus agnovit et diserte explanavit Boeckhius his verbis: »Ex illo Sophoclis instituto singulae fabulae »inter se compositae, non tetralogiae; de singulis judicatum »est, non de quaternis; singulae vicerunt, non quaternae [11]." Videndum igitur, an hoc cum didascaliarum indiciis supra memoratis possit conciliari.

Boeckhius quidem antea opinatus est, licuisse poëtis Sophoclis aetate *partim* tetralogiis, *partim* singulis fabulis contendere; nuper vero censuit, in *aliis* festis hoc, in *aliis* illud fuisse receptum: nempe in *magnis Dionysiis* tetralogias non esse intermissas, *Lenaeis* vero singulas fabulas actas esse ex instituto Sophoclis [12]. Quae conjectura eo nititur fundamento,

---

[9] Vid. Diogen. Laërt. III, 56.

[10] Hoc agnoscit ipse Droysenus, qui fatetur, ne sua quidem explicatione Suidae testimonium liquidum esse: »Man sieht schon, jene Notiz des Suidas »enthält eine viel zu schroffe Angabe; weder Drama gegen Drama hat Sopho»kles gekämpft — noch hat er streng genommen die Tetralogie aufgelöst, denn »*schon bei Aischylos beginnt diese Auflösung deutlich genug.*" Vid. Diarium cit. N°. 15 princ. Aeschyli tetralogia Persae, quam modo memoravi, acta est a. a. Ch. 427, quatuor annis antequam in scenam processit Sophocles.

[11] Vid. Kusterus ad Suidam s. v. quem plerique sequuntur, in his etiam novissimus Suidae interpres Bernhardy. Praeterea Hartung, Eurip. Restitut. I, p. 11. Boeckhii verba ex Indice Lect. Berol. 1841 depromta citavit Droysen l. l. N°. 13, princ. Ipsa Boeckhii scriptio mihi non est ad manum.

[12] Priorem sententiam protulit in libro Graec. Trag. Princ. p. 105 sq.

Digitized by Google

quod unica, cujus actae tempus notatum est, tetralogia *magnis Dionysiis* edita esse legitur, vicissim vero in *Lenaeis* vicisse memoratur apud Platonem Agathon τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ, quod de una fabula accipiunt [13]. Addi potest quod etiam Dionysius Syracusanus in *Lenaeis* docuit τραγῳδίαν, teste Diodoro, nempe Λύτρα Ἕκτορος, quo titulo olim trilogiam ediderat Aeschylus [14]. Atqui ex singularibus hujusmodi indiciis de tota re conjecturam facere vereor ne lubricum sit. Quid quod vocabulum τραγῳδία, si non nisi tetralogiae agi solitae essent, etiam singulari numero commode de quadripartita didascalia dici potuit, praesertim in familiari sermone, quum proprium vocabulum τετραλογία tum vel inauditum vel communi saltem consuetudine receptum non esset [15]. Sed, ut haec omittam, explicatio illa tantum abest ut Suidae testimonio quadret, ut illud plane infringat. Nam quis dubitet, quin Sophocles in magnis potissimum Dionysiis, sicut mos erat poëtis, novas fabulas docuerit? In his igitur si non nisi tetralogiae essent commissae, quomodo ille potuit harum loco singulares tragoedias exhibere? Ergo aut Suidae testimonium infitiandum est aut fatendum, morem τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι latius patuisse. Ad quod dijudicandum, videamus an idoneae sint rationes quae singularum tragoediarum commissioni obstent.

Posteriorem conjecturam propositam in Lect. Indice cit. p. 2, memorat Bernhardy, Grundriss d. Griech. Lit. II, p. 583.

[13] Vid. Plato Symp. princ. p. 173 A, coll. Athenaeo V, 18 princ. p. 217, A.

[14] Exemplum hoc indicavit mihi Vir Clar. D. J. van Lennep. Memorat Diodor. Sic. XV, c. 74, cf. Tzetzes Chil. V, 178 sqq. De Aeschyli illa trilogia egit Hermann. Opusc. T. V, p. 136 sqq. aliique quos memorat Bode, Gesch. d. Hellen. Dichtk. (Tragoed.) T. III, p. 345.

[15] Negat quidem Droysen, auctore Boeckhio, τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ dici potuisse pro τῇ πρώτῃ διδασκαλίᾳ. At vox διδασκαλία nec certum fabularum numerum indicat, nec ipsas fabulas, sed tantum earum *actionem* s. *commissionem*.

Digitized by Google

IV.

Et primum quidem quod tetralogiae Sophoclis aetate et postea item actae memorantur, id quidem Sophoclis illi instituto nihil obstat. Potuit enim novus tragoedias docendi modus institutus esse, et tamen licuisse Sophocli, licuisse item aliis pristinam rationem interdum sequi. E septem vero vel octo, quae inter tot centenas tragoedias memorantur, tetralogiis efficere, hunc didascaliae modum constanter et ordine obtinuisse, id vix concedendum est. Singularum quidem tragoediarum didascalias non expresse memorari fateor: attamen ex hoc silentio non magis colligi potest, has non exhibitas esse quam e paucarum tetralogiarum mentione colligatur, has perpetuo edi solitas esse. Aeque posset contrarium inde effici, singulas tragoedias ideo non memoratas esse, quia id vulgare esset et usitatum, contra quaternas memoratas esse ut rem haud vulgarem et notatu dignam. Illud quoque memorabile, quod vocabula *τριλογία* et *τετραλογία* antiquis ignota sunt, et apud Alexandrinos demum grammaticos, Aristarchum et Aristophanem, reperiuntur. Aristoteles in Arte Poëtica nusquam ea usurpat, ne ibi quidem ubi alioquin expectasses, velut quando tragico poëtae praecipit, *μὴ ποιεῖν ἐποποιικὸν σύστημα τραγῳδίας* [16]. Quodsi solenne fuisset ternis quaternisve dramatibus certare, mirum sane, non, quemadmodum in gymnicis ludis propria

---

Vid. de hac voce disputantem Ranke in Vita Aristoph., p. cxxxix sqq. Nullum est vocabulum quod hoc significet praeterquam *τετραλογία*; hoc autem est serioris temporis, ut mox ostendam.

[16] Aristot. de Arte Poët., c. 18, § 4, ed. Ritter.

Digitized by Google

erant vocabula a certaminum numero appellata, ut *δίαυλος*, *πένταθλον*, *τριάξαι*, alia, sic etiam tragicis his agonibus proprium a re nomen fuisse impositum.

His alia argumenta accedunt. Sophoclis tetralogiae ab ipso actae nullum, ut diximus, vestigium exstat, Euripidis paucae tantum citantur; at et hujus et Sophoclis plures tragoediae singulares sine ullo comitatu, addito anno quo actae sunt, e didascaliis memorantur, ut SOPHOCLIS *Philoctetes*, EURIPIDIS *Peliades*, *Hippolytus Coronatus*, *Orestes* [17]. Quodsi non singulis his, sed quaternis contendissent, mirum ni reliquarum etiam tituli additi essent. Dicunt quidem, sub singulis his titulis reliquos

---

[17] *Philoctetes* acta Olymp. 92, 3; *Peliades*, Ol. 81, 1; *Hippolytus*, Olymp. 87, 4; *Orestes*, Olymp. 92, 4. Vide partim harum fabularum argumenta, partim alios locos indicatos in Clintoni Fastis Hellenicis. Caeterum non me fugit hoc argumentum jam ab aliis tactum et diverse judicatum esse. Vid. Welcker, Aeschyl. Trilog., p. 509.

De *Oreste* pauca addenda. Hanc fabulam partem fuisse tetralogiae quae contineret *Antiopen*, *Hypsipylen*, *Phoenissas*, *Orestem*, demonstrare sibi visus est Hartung, Eurip. restit. II, p. 401—406, his usus argumentis: primo quod in scholiis Orest. vs. 1481 haec leguntur: *ἐν τῷ τρίτῳ δράματι οὗτός φησιν ἐν τῷ χορῷ τῷ »Κάδμος ἔμολε.«* hic autem chorus est in *Phoenissis:* ergo Phoenissas *tertium* ejusdem didascaliae drama dicit. At manifestum est, *tertium* drama hic vocari Phoenissas, non quod tertium esset ejusdem didascaliae, sed quod in Euripidis fabularum collectione tertium numeraretur. Eadem ratione Sophoclis *Antigone* fabula tricesima secunda, Aristophanis *Aves* tricesima quinta numerata est. Plura hujus generis exempla affert Welcker, die Griech. Tragoed. p. 84, not. 25. Cf. Ranke in Aristoph. Vita, p. CLXVII. Neque alio sensu in Aeschyli scholiis Prometh. vs. 510, *τὸ ἑξῆς δρᾶμα* vocatur id quod in codice proximum legebatur. Alterum argumentum petit ex eo quod interpres Aristoph. in Ran. vs. 53 animadvertit dicens: *διὰ τί δὲ μὴ ἄλλο τι (συκοφαντεῖ ὁ κωμικὸς) τῶν πρὸ ὀλίγου διδαχθέντων καὶ καλῶν, Ὑψιπύλης, Φοινισσῶν, Ἀντιόπης;* At ex eo, quod tria haec dramata non multo ante ab Euripide edita essent, non sequitur, ea simul acta esse et unius tetralogiae partes fuisse, ut recte animadvertit Welcker, die Griech. Trag. p. 442.

Digitized by Google

qui desunt intelligendos esse: fateor interdum hoc obtinere, u e tribus tragoediis simili argumento prima vel praecipua aliqua pro tota didascalia ponatur, quemadmodum *ἡ τῶν Τρῳάδων κάθεσις* pro tribus fabulis, *Alexandro*, *Palamede* et *Troadibus*, una commissione editis, ponitur in scholiis ad Aristoph. Vesp. 1326; universe tamen id fieri solitum esse probari nequit. Viderint autem critici, quam justa sit haec judicandi ratio: videlicet ab una parte ut certum et confessum sumunt id quod erat probandum, tetralogias nempe constanter actas esse; ab altera vero parte quidquid huic sententiae refragatur, minuunt aut spernunt [18]. Num hoc est aequa trutina uti et res suo momento ponderare, an potius ex praejudicata opinione aestimare? Tantum tamen valuerunt haec argumenta ut docti et acuti homines iis adducti sint, ut suo arbitrio cuncta Sophoclis et Euripidis dramata in trilogias ac tetralogias distribuerent. Ingeniosius sane quam verius. Tota enim illa tetralogiarum cohors tam levis, tam vana est, ut, si propius accedas, statim umbrarum instar avolet et inani specie spectantem ludat [19].

---

[18] Tale est ex. gr. judicium Hartungii, Eurip. restit. I, p. 52 sq. ubi haec dicit: »Plenâ tetralogiâ aut trilogiâ poëtas — non singulis fabulis certare so»litos esse et res docet et testimonia grammaticorum. Unde", sic concludit, »*Peliades* κατ' ἐξοχὴν loco totius didascaliae (s. tetralogiae) positas esse appa»ret." Quid hoc est nisi petitio principii, quam dialectici vocant? Eodem modo argumentantur quos ille citat, Ad. Schoell et Droysen, qui in libro Kieler Studien, p. 53, haec dicit: »Dass seit jener (des Aischylos) Zeit stets von »jedem der wettkämpfenden Dichter drei Tragödien und ein satyrisches Spiel »aufgeführt worden, ist *ausgemacht* [19]. S. Schoell, Beiträge zur Kenntniss der »tragischen Poësie d. Griechen, I, p. 199."

[19] De Sophoclis trilogiis, quas conglutinavit Ad. Schoell, judicium tulit Welcker, die Griech. Tragoed., p. 1546 sq. De Hartungii opere modo (nota 17 et 18) mentionem feci, quod ut multis dotibus nitet, ita in summa rei claudicat. Cf. infra not. 40 et 42.

Digitized by Google

V.

Examinemus autem ea quae pro tetralogiis afferuntur. Testimonia grammaticorum e didascaliis petita jam supra memoravimus: e quibus tantum effici posse vidimus, tetralogias post Aeschyleam aetatem interdum quidem actas esse, non tamen constantem hunc morem fuisse. At suffragatur, inquiunt, huic mori ipsa tragoediarum multitudo, Aeschylo, Sophocli, Euripidi aliisque poëtis tragicis tributa: fuerunt in his, qui centum et ducentas adeo fabulas reliquisse narrantur [20]; quibus docendis non facile fuisset locus, si singulae tantum singulis ludis actae essent. Sed, si numeri illi constant, — quamquam quid facilius fuit corrumpi quam numeros? [21] — quis tamen affirmet, omnes illas fabulas absolutas, omnes in scenam productas esse? Accepimus enim, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis filios ex illorum scriniis ineditas aut inchoatas fabulas protulisse et a se limatas in tragicum agonem commisisse [22]. Aut etiamsi ab ipsis editae essent, quis contendat, omnes in urbe actas esse, quum in Piraeo quoque aliisque Atticae

---

[20] Frivolam hanc multorum fecunditatem festive ridet Comicus in notissimis versibus, Ran. 88:

οὔκουν ἕτερ' ἔστ' ἐνταῦθα μειρακύλλια
τραγῳδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μύρια,
Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα.

[21] Ita ex. gr. difficile est creditu quod de Carcino legitur apud Suidam, eum *centies et sexagies* fabulam docuisse, *semel* vicisse, aliaque ejusmodi. Manifestum mendum habes in Sophocle juniore, de quo vid. Kayser, Hist. Crit. Trag. p. 79.

[22] Vid. Suidas, s. v. Εὐφορίων υἱὸς Αἰσχ. Schol. Aristoph. Ran. vs. 67 et 78. Kayser, in libro cit. p. 78 sq.

Digitized by Google

pagis multiplex esset spectacula edendi occasio? Denique si concedatur, de quo nullus dubito, effici inde posse, saepe plures fabulas simul ab uno poëta exhibitas esse, propterea tamen nil nisi tetralogias admittere parum consentaneum est; cui rei vel illud obstat, quod nullius fere poëtae dramatum numerus aequaliter in quaterniones dividi potest [23]. Fatendum igitur, hoc argumentum non magni esse ponderis.

Plus illud valere videatur, quod agonum tragicorum ordo et modus publice esset constitutus: quocirca non licitum fuisse poëtis a semel recepto more recedere. Sane ludos hos, qui erant magna pars festorum Dionysiorum, rite ordinatos fuisse, quis dubitet? [24] Tamen erant hac in re certi fines. Spectaculorum ordo et pompa, fabulas docendi potestas, choros instruendi officium, haec aliaque hujus generis certâ ratione et lege ordinata erant; num tamen eo processerit ordinis studium, ut poëtis certus tragoediarum numerus certaque mensura esset praescripta, quam excedere non liceret, id magnopere est dubitandum. Ego saltem in hoc elegans Atticorum judicium parum agnoscerem, si, quemadmodum athletis post triplicem demum victoriam, quod *τριάξαι* vocabant, palma tribui solebat, sic poëtis non nisi trium quatuorve dramatum commissione certare concessissent. Alia quippe est virium, alia ingeniorum aestimatio. Ingenii artes libertate vigent, quae nusquam major

---

[23] Ad hanc difficultatem tollendam sunt qui numeros e conjectura mutandos censuerunt, ut K. O. Müller, Gesch. d. Gr. Lit., II, p. 114. Quo tamen remedio parum proficias.

[24] Luculentum hac de re testimonium est Demosthenis adv. Phil. I, § 35, p. 50: *Καίτοι τί δήποτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, νομίζομεν τὴν μὲν τῶν Παναθηναίων ἑορτὴν καὶ τὴν τῶν Διονυσίων ἀεὶ τοῦ καθήκοντος χρόνου γίγνεσθαι; — ὅτι ἐκεῖνα μὲν ἅπαντα νόμῳ τέτακται καὶ πρόοιδεν ἕκαστος ὑμῶν ἐκ πολλοῦ, τίς χορηγὸς ἢ γυμνασίαρχος τῆς φυλῆς πότε καὶ παρὰ τοῦ καὶ τίνα λαβόντα τί δεῖ ποιεῖν.*

Digitized by Google

fuit quam in Attica; tragoedia certe numquam ab agresti habitu ad ornatum illum et majestatem se extulisset, si receptae consuetudini et praescripto ordini servire debuisset. Non ancilla ludorum, sed domina apud Graecos poësis fuit. Quid vero? Antiquioribus poëtis licuit Dionysum et Satyros, quamvis clamante populo: *οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον*! a tragicis choris removere [25]; licuit Aeschylo, aut quisquis id instituit, argumentum dilatare et tria quatuorve dramata continuare; et Sophocli esset negatum fines nimis latos coarctare et eum statuere modum, qui vel poëtae arti vel spectantium voluptati conveniret! Num credamus, normam semel constitutam ita religiose servatam esse, ut ab ea discedere nefas putaretur, quum id salva carminis lege fieri posset? Ego tetralogiarum institutum ut sponte inventum, ita nulla lege sancitum fuisse existimo.

VI.

Sed tametsi lex non juberet, potuit tamen ipsa ludorum solennitas et agonum ratio id postulare. Argumentum hoc est omnium sane gravissimum. Notum est nimirum, necessarios tragoediis fuisse choros; choros autem instruendi ornandique munus s. *χορηγίαν* fuisse unam e *λειτουργίαις*, quas ditiores cujusque tribûs ex ordine praestare debebant: ergo tam aequitas quam ludorum solennitas postulabat, ut hoc munus rite et aeque ordinatum esset. Jam statuunt totum chorum tragicum constitisse L choreutis; singularum autem tragoediarum choros

[25] Vid. Suidas, Photius, s. v. *οὐδὲν πρὸς τ. Διόνυσον*. Plutarch. Symp. I, p. 615 A.

Digitized by Google

Sophoclis aetate constitisse XV cantoribus testatum est [26]. Itaque dicunt oportuisse quinquaginta illos choreutos in quatuor dramata partitos esse sic, ut in singulis quini deni essent: unde effici, chorum tragicum ita fuisse compositum ut non singulari fabulae, sed tetralogiae tantum esset accommodatus; atque adeo non potuisse tragoediarum numerum minui, quin simul minueretur chori ordo et numerus. Quod nequaquam concessum fuisse probabile sit; multo etiam minus, ut una fabula cum ternis quaternisve certaret, quum sic non modo dramatum, sed etiam chororum concertantium numerus dispar, et choregorum munera vel onera inaequalia fuissent [27].

Argumenta haec magni essent sane momenti, modo satis haberent auctoritatis. Verum utrumque quod sumitur, et quinquagenarium fuisse chori tragici numerum, et choregiae munus aequale semper ac definitum fuisse, conjectura nititur, quae, etsi eruditissimorum virorum judicio commendata, vereor tamen ut possit probari [28]. Primum, quod ad chorum attinet, hunc quinquaginta cantoribus constitisse effectum est ex eo, quod chori cyclici, e quibus tragici chori orti videntur, hunc numerum habebant, et quod parum credibile videretur, quindecim tantum choreutas ternis quaternisve fabulis sufficere

[26] Vid. Schol. Aristoph. Eqq. vs. 589. Av. vs. 297 (ed. Didot.) Pollux, IV, 108.

[27] Ita Droysen, Zeitschr., l. l. p. 99 sq. »Endlich waren die dramati»schen Aufführungen eine Festfeier; mit einer gehörigen, liturgisch bestimmten »Festordnung wäre solche Willkühr in der Zahl der aufzuführenden Dramen, »Choreuten, u. s. w. unvereinbar gewesen."

[28] Hujus sententiae praecipuus auctor fuit K. O. Müller, Aeschyli Eumen. Abhandl. I; cf. Idem Gesch. d. Griech. Lit. II, p. 47. Hunc plerique sunt secuti, in his Bode, Hellen. Dichtk. Tragoedie, p. 183. Bernhardy, Grundriss d. Griech. Lit. II, p. 630, 632. Impugnavit vero G. Hermann in Eumenidum censura, Opusc. VI, 2, p. 127 sq., 135 sq., cujus argumentationem ex parte cum mea convenire laetus agnovi.

Digitized by Google

potuisse. Caeterum nullus veterum hunc tragici chori numerum fuisse retulit, excepto Polluce, IV, 110, qui narrat, chorum tragicum olim e L cantoribus constitisse usque ad Aeschyli *Eumenides*, quo dramate quum perterrita fuisset multitudo, chori numerum lege imminutum esse. Hanc vero narrationem semetipsam redarguere jam dudum animadversum est a Goth. Hermanno, et fabulosam esse agnoscunt ii ipsi qui auctoritate tamen ejus utuntur [29]. Cyclicus autem chorus etsi e L constitit cantoribus, inde tamen nihil de tragoedia concludi potest, quippe quae tantopere deflexit paullatim ab origine sua, ut antiquam formam vix agnosceres. Cur autem negemus, quinos denos choreutas ternis, sive opus esset, quaternis tragoediis canendis pares fuisse, si tres histriones agendis totidem fabulis sufficerent? Tot certe histriones, haud plures, singulis poëtis datos esse legimus [30]. Neque id negotium supra actorum vires fuisse videbitur, si meminerimus Polum tragoedum, jam septuagenarium, octo tragoedias quatriduo egisse [31]. Non vulgare sane hoc, immo singulare fuit exemplum, praesertim tam grandi aetate et tam exculta histrionum arte; fuisse tamen qui juvenes et robusti dimidium facere valerent, licet credere. Legimus item apud Aristotelem, iisdem hominibus nunc tragicum, nunc comicum chorum constitisse: puto, in eadem ludorum commissione, etsi id non diserte additum est [32]. Sed quidquid

[29] Vid. Hermann. de Choro Eumen. I. Opusc. II, p. 136. cf. Bode in lib. laud. p. 223. Bernhardy, lib. laud. p. 633, fabulam illud vocat.

[30] Vid. Suidas s. v. νεμήσεις ὑποκριτῶν, ibique Bernhardy. Ad id credendum facit etiam quod ante Sophoclem poëtae tragici, ut Phrynichus, Pratinas, alii, etiam Aeschylus, ipsi fabulas suas agebant atque poëtae iidem erant qui actores, puta, primarum partium, sive πρωταγωνισταί: ergo eadem persona totam probabiliter trilogiam agere debuit. Rem memorat Aristot. Rhet. III, 1; Scriptor Vit. Sophocl. in Biograph. ed. Westerm., p. 127, aliique.

[31] Plutarch., An seni sit gerenda Resp. p. 785.

[32] Aristot., Polit. III, 2, p. 75, Ed. Goettl.

Digitized by Google

est, illud non temere affirmare licet, eundem chorum eosdemque actores plures saltem quam unam fabulam agere potuisse. Multum hic pendebat videlicet ab apta partium distributione inter diversos histriones et diversos chori ordines. Neque tamen contendo, quindecim choreutas totam trilogiam vel tetralogiam agere solitos fuisse; tantum repugno, ne e quaternis fabulis concludatur, quadruplum quoque chorum fuisse, e quinquaginta nimirum cantoribus constantem. Unum quod scimus hoc est, Sophoclis aetate chorum e quindecim cantoribus constitisse: hoc igitur lege vel consuetudine receptum esse probabile est, ceterum chorego relictum puto, subsidii loco tot addere cantores, quot fabularum numerus vel chori commodum postularet. Ergo, quod sumunt, ipsam chori tragici compositionem talem fuisse ut tetralogiae unice conveniret, mera est conjectura, quam nec scriptorum auctoritas nec rei ratio comprobat.

Illud tamen fatendum, haud aequalem fuisse chororum sumtum, apparatum, contentionem, sive unum vel duo, sive quatuor dramata essent agenda: quamobrem, si non certus praescriptus esset tragoediarum numerus, inaequale fuisset choregiae munus. Fuerit sane! Quippe lege cautum quidem erat, ut officium illud ex ordine praestaretur, non vero definitus erat ejus sumtus, non circumscripta choregorum munificentia; locus relinquebatur ditiorum civium liberalitati et aemulationi. Itaque saepius factum videmus, ut choregi inter se aemulantes et ἀντιχορηγοῦντες alter alterum chororum magnificentia et arte superare niterentur [33]; quidni etiam fabularum edendarum numero certare inter se potuerint? Sed ponamus aequam fuisse certantium conditionem, quid vetuit agonem ita ordinari, ut tetralogiae cum tetralogiis, singulae fabulae cum singulis contenderent, quod clar. Boeckhio in opinionem venit? [34] vel,

[33] Vid. Demosth. adv. Mid., p. 533, 534, 536.

[34] Boeckh. l. l. q. citat Droysen, Diar. laud. p. 100: »Nec dubitamus, quin

quod mihi probabilius videtur, quid obstat poëtis licuisse etiam dispari tragoediarum numero, hunc unâ, hunc pluribus certare, modo non ternae quaternaeve sed singulae judicarentur, et una omnium praestantissima primas ferret? Hoc erat, opinor, rei maxime consentaneum, praesertim postquam tetralogiae continentibus constare fabulis desierunt. Idem factum videmus in comoediis, ut concertantium poëtarum alius unam, alius plures fabulas doceret, una vero ex omnibus primas ferret [35]. Tali modo in dispari dramatum numero par tamen erat certamen, quum et singula cum singulis contenderent et quo quis vel poëta vel choregus plura dramata exhiberet, eo frequentior esset victoriae occasio. Quidni in musico certamine id aeque permissum fuisse credamus atque in equestribus agonibus, ubi certantium alii singulis, alii pluribus curribus contendebant: Alcibiadis septem aliquando currus misit Olympiam, idemque primas, secundas et tertias tulisse praedicatur [36]. Hoc ipsum erat, opinor, illud **δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι**, quod a Sophocle institutum esse Suidas tradit. Sed illuc mox revertar. Quisquis autem fuit certaminum modus, — id enim in conjectura positum est — illud satis ostensum arbitror, sententiam eorum, qui nil nisi tetralogias admittunt, nec ludorum more posse probari: quocirca lubricum sit, incertam conjecturam diserto scriptoris testimonio anteponere.

»tetralogiae tantum cum tetralogiis commissae sint, non cum singularibus fa-»bulis. Sed possunt eadem aetate modo tetralogiae cum tetralogiis, modo sin-»gulae fabulae cum singulis fabulis in certamen commissae esse, aut in diversis »solennibus aut in eodem adeo festi genere, prout nomina professi essent »poëtae vel secundum has professiones videretur magistratibus."

35 Vid. Corpus Inscriptt. Boeckh. I, p. 352.

36 Plutarch. Vit. Alcib. c. 11.

Digitized by Google

VII.

Praeterea vero alia sunt, quae pro singularum fabularum commissione potius quam pro tetralogiis faciunt. Primum ipsa tragoediarum forma et compositio. Postquam enim Sophocles singulas tragoedias in justi dramatis modum absolvit, eoque factum est ut, etiamsi plures simul darentur, essent tamen argumento disjunctae, quae fuit necessitas cur quaternarius ille numerus constanter servaretur? Num carminis lex et natura? num spectantium voluptas? Neutra, opinor, id postulabat. An vero statutum ludorum tempus? At si reputemus, quanta Sophoclis aetate esset poëtarum in omni genere frequentia et aemulatio, tragicorum, comicorum, dithyrambicorum, qui omnes Athenas tanquam ad commune theatrum opera sua deferebant, vix sufficiens fuisse horum studiis tempus Dionysiorum videatur, si tragici poëtae singuli quaternas fabulas docere debuissent. Adde quod ita oportuisset semper esse certum concertantium poëtarum numerum, nec plures nec pauciores tribus quatuorve, ne temporis spatium aut deesset aemulantibus aut superesset [37]. Hoc autem qui fieri potuit in tanto studiorum fervore tantaque temporum vicissitudine? Probabilius, nunc majorem fuisse, nunc minorem poëtarum frequentiam, eosque adeo, prouti ipsis

[37] Id obtinuisse arbitratur Bernhardy, Grundriss der Griech. Lit. II, p. 670: »Der Aufwand an Zeit ...lässt wenigstens fur die grössen Dionysien anneh»men, dass dort nur drei Tragiker mit einander kämpften.” At plures certasse ostendit Isaei locus de Dicaeog. hered., § 36: *οὗτος γὰρ τῇ μὲν φυλῇ εἰς Διονύσια χορηγήσας τέταρτος ἐγένετο, τραγῳδοῖς δὲ καὶ πυρριχισταῖς ὕστατος.* Ubi quum *ὕστατος* sequatur post *τέταρτος*, probabiliter indicat *quarto inferiorem*: ergo plures quam quatuor fuere certantes.

Digitized by Google

luberet aut res ferret, magistratûs permissu, modo singulas, modo binas, ternas quaternasve fabulas scenae commisisse.

Atque ita factum esse plura indicant vestigia. Primum dramata Satyrica, quae erant quarta pars tetralogiae, citius obsolevisse et interdum omissa esse probabile est, propterea, quod hujus generis dramatum, quae Sophocles, Euripides aliique aequalium scripsisse memorantur, numerus, si cum tragoediarum multitudine comparetur, tetralogiis explendis haud sufficit [38]. Ita Euripidis LXX amplius tragoediae, Satyricae vero fabulae VIII tantum memorantur [39]. Interdum quidem harum loco quarta accessit tragoedia hilarior, qualis est Euripidea *Alcestis;* inde tamen effici nequit, constantem hunc morem fuisse; probabilius inde efficias, pro tetralogia trilogiam interdum datam esse. Atque exemplo est commissio illa, quam, mortuo Euripide, patris nomine edidit ejus filius, continens *Iphigeniam in Aulide, Alcmaeonem, Bacchas*, sicut in didascaliis proditum est. Harum tragoediarum postrema a nonnullis pro Satyrica fabula habita est, parum quidem recte, attamen vel hoc indicio est, quartum drama, quod Satyricum esse solebat, non fuisse additum [40]. Alterum exemplum forsitan haberi possint tres illae fabulae, quas conjunctim memorat schol. Aristoph. Ran. vs. 53, *Hypsipylen, Phoenissas, Antiopen;* hoc tamen, ut parum li-

---

[38] Vid. Bode, Hellen. Dichtk., Trag. p. 93.

[39] Vid. Welcker, die Griech. Tragoed. II, init. Satyricas fabulas recenset idem in Nachtrag zur Aeschyl. Trilog. p. 284 sqq. Hartung, Eurip. restit. Vol. I, princ.

[40] Schol. in Aristoph. Ran. vs. 67: *αἱ διδασκαλίαι φέρουσι, τελευτήσαντος Εὐριπίδου, τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμώνυμον ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι, Ἀλκμαίωνα, Βάκχας.* Satyricae fabulae colorem in *Bacchis* agnoscit Schol. Hephaest., c. 6, p. 87, citatus Hartung. in Eurip. restit. II, p. 511. Nihilominus ille non dubitat quartam his fabulam addere *Archelaum;* quo jure, ipse viderit.

quidum, omitto [41]. Duas Euripidis tragoedias una editas memorat schol. Aristoph. Thesmoph. vs. 1012, *Andromedam* et *Helenam;* quarum utramque quum comicus in illa fabula ludat, interpres id πιθανῶς factum dicit, συνδεδίδακται γὰρ, inquit, ἡ Ἀνδρομέδα τῇ Ἑλένῃ. Etsi fateor, inde non necessario sequi, tertiam et quartam fabulam his non adjunctas fuisse [42], quid tamen vetat credere, etiam binas fabulas datas esse, si quidem lex, quantum scimus, tetralogias non posceret? Ob eandem rationem etiam singulas agi potuisse, quis dubitet? Et revera actas esse indicant complurium tragoediarum tituli singulatim citati, quorum exempla supra attuli (not. 17). Accedit disertum illud Platonis dictum in Convivio, ubi Agathonem τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ vicisse memorat: quod dictum si ii ipsi de una tragoedia acceperunt qui tetralogias tamen more receptas statuunt, majore jure nobis id facere licebit. Sunt et alia hujus generis indicia, velut quod Sophoclis *Oedipus Tyrannus* superata esse legitur a Philocle [43]: tale quid dici vix poterat, nisi sola haec tragoedia in certamen esset commissa; item quod de Ione Chio traditur in schol. Aristoph. Pac. 835: φασὶ δ' αὐτὸν ὁμοῦ διθύραμβον καὶ τραγῳδίαν ἀγωνισάμενον ἐν τῇ Ἀττικῇ νικῆσαι. quod quisque, credo, de uno dithyrambo et de una tragoedia accipiat. Sed quid opus est demonstrare, quod ne ii quidem, qui ubique trilogias et tetralogias vident, infitiari queunt? [44] Haec igitur indicia si opponantur iis testimoniis

---

[41] Vid. supra, not. 17, sub fin.

[42] Hartung, l. l. II, p. 301, tertiam his adjungit *Electram.* Ex argumentis, quae affert, effici quidem potest, has tres tragoedias tempore sibi propinquas fuisse, non vero, fuisse ejusdem didascaliae partes.

[43] Vid. Argum. Oed. Regis.

[44] Velut Clar. Droysen in Diario cit. N°. 13, p. 98: »Es kan nicht zweifel»haft sein, dass in Athen irgendwie die Aufführung von einer einzelnen Tra»gödie eines Dichters möglich, dass die viertheilige Didaskalie nicht die einzige

Digitized by Google

quae tetralogiarum mentionem faciunt, satis momenti habere arbitror ad probandum, non quaternis tantum, sed etiam paucioribus et singulis fabulis docendis locum fuisse. Sed, quod hac in re praecipuum est, sive singulae sive plures darentur, e Sophoclis instituto certatum esse arbitror *δρᾶμα πρὸς δρᾶμα*, hoc est ita, ut non ternae quaternaeve, sed singulae fabulae aestimarentur, eaque quae praestantissima esset judicata primas ferret. Hoc erat rei consentaneum. Finge enim, quod saepius accidere debuit, ut unus poëta daret tres quatuorve tragoedias, omnes mediocres, alter duas tresve illis pejores, unam vero excellentem: quamnam illarum lauro donari oportuit? Si quaternae quaternis in certamine opponerentur, difficilis sane erat aestimatio; quis autem dubitat, quin uni praestantissimae palma tributa sit? Hinc quoque quod singulae fere fabulae ob excellentiam praedicantur, sicut Sophoclis *Antigone*, Euripidis *Hippolytus στεφανήφορος*, aliae. Nec alioquin explicatu facile est quod toties apud Grammaticos de tragicis poëtis notatum legitur: »*Docuit dramata quadraginta, sexaginta, centum; vicit* »*duo, tria, quatuor*." Plerumque in his locis dramatum editorum numerum de *singularibus* fabulis, victorias autem de *tetralogiis* accipiunt. Quasi hoc congruum sit! Rectius, credo, sic interpretere, singulas fabulas coronatas esse, quamquam interdum plures simul ab eodem poëta in certamen essent commissae.

»Art dramatischer Aufführungen war." Aeschylum a singularibus fabulis docendis exorsum esse non improbabile existimat Bernhardy in libr. laud., p. 580. Idem fecisse Euripidem conjecit Hartung, Op. Cit. I, p. 4. Num igitur quod initio fecerunt, postea facere vetiti sunt?

Digitized by Google

VIII.

Quodsi jam universe quaeratur, quis in tragicis agonibus fuerit certandi modus, hunc ego non certa legis norma constitutum nec unum semper eundemque fuisse arbitror, sed diversis temporibus pro diversa tragoediarum compositione et numero variasse. Aeschyli aetate quum tetralogiae maxime essent receptae, totis tetralogiis plerumque certatum esse probabile est. Hoc certe erat rei congruum, quippe quum tres quatuorve fabulae argumenti perpetuitate solerent esse conjunctae. Itaque fabularum commissionem sic factam credo, ut continuis diebus totae deinceps tetralogiae, alia post aliam, agerentur. Nequaquam vero probandam arbitror nonnullorum opinionem putantium, quatuor cujusque tetralogiae dramata in quatuor Bacchi festa, quae haud magno intervallo sese excipiebant, sic partita fuisse ut singulis ludis singulae concertantium tetralogiarum partes deinceps darentur [45]. Quae opinio vel eo redargui videtur quod legimus, Aeschyli Orestiam quatuor fabulis constantem ab uno chorego editam esse [46]; choregus autem non unus ad plures ludos, sed singuli ad singulos capiebantur, unde dici solet χορηγεῖν sive χορηγὸς κατασταθῆναι εἰς Διονύσια, εἰς Θαργήλια, etc. [47].

Tetralogiarum autem vinculum jam ab Aeschylo laxari et argumenti perpetuitas interdum remitti coepta est, ut ostendit tetralogia ejus Persae, cujus partes etsi simili fortasse erant sensu, dissimilis tamen erant argumenti [48]. Quod hic incepit,

---

[45] Propugnat hanc sententiam Bode in libro cit. p. 91.

[46] Vid. Argum. Aeschyli Agam. cf. Boeckh. Corp. Inscr. I, p. 350, col. 2.

[47] Vid. Antiph. de Choreut. § 11; Isaeus de Dicaeog. her. § 36.

[48] Attigi supra p. 8 et 9, not. 10.

Digitized by Google

perfecit SOPHOCLES, qui tragoediam ita conformavit, ut quaeque fabula totum esset; a quo tempore probabile est agonis quoque modum eodem auctore, pedetentim fortasse, mutatum esse, et ita paullatim invaluisse, ut esset singularum tragoediarum inter se contentio. Quaerat quis, quae Sophocli fuerit occasio veterem morem immutandi? Etsi hoc nimis paene curiosum puto, tamen haud temere conjicias, illum post primam victoriam, quum Aeschylus in Siciliam discessisset et ipse principatum in scena teneret, exemplo suo et consilio id effecisse. Quod tamen non obstitit, quominus vetus didascaliarum forma interdum revocaretur, quod vel ex eo apparet, quod AESCHYLUS decem annis post illum discessum Athenas reversus, ibi docuit Orestiam, quae primas tulit; et aliquanto post PHILOCLES docuit Pandionidem, quae item erat tetralogia argumento cohaerens, ut ex ipso titulo colligi potest [49]. Forsitan ipse Sophocles tres illas tragoedias, quas separatim docuerat, *Oedipum Regem*, *Oedipum in Colono* et *Antigonen*, denuo recensitas conjunctim aliquando edere paravit [50]. Neque tamen postulari ideo potuit ut aemulantes quoque poëtae continuas tetralogias his opponerent. Neque magis postulatum fuisse credo, ut, si unus poëta tres quatuorve fabulas diversi argumenti doceret, reliqui item ternas quaternasve in certamen committerent. Saepius quidem, quoties fieri posset, agonem ita ordinatum esse ut pares numero cum paribus certarent, didascaliae ostendunt; non aliter vero licitum fuisse, haud probabile existimo.

Caeterum qualis fuerit agonum Tragicorum ordo et modus, non nisi conjectura suspicari licet; illud vero argumentis, quae

---

[49] Vid. Schol. Aristoph. Av. 381.

[50] Hactenus assentiri possum Ad. Schoell in Sophocles Leben, p. 169—176. Sed quod ille vult, tres has tragoedias revera aliquando nova commissione una editas esse, non puto posse probari.

Digitized by Google

attuli, satis probatum arbitror: post Aeschyli aetatem tetralogias nec lege nec consuetudine constanter postulatas fuisse; dramatum, quae singuli poëtae docerent, numerum non definitum nec semper eundem fuisse; quicumque autem esset concertantium fabularum numerus, non ternas quaternasve plerumque, sed singulas inter se commissas et singulas coronatas esse, atque hujus instituti auctorem fuisse Sophoclem. Quocirca fidem habendam esse Suidae de illo testimonio, ad quod tota haec spectat disputatio: *αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν.*

IX.

Et ita quidem quaestionem mihi propositam ad finem perduxi. Attamen aliquid etiam explicandum restat, quod apud eundem scriptorem relatum legitur. De ARISTARCHO *Tegeate,* tragico poëta, Suidas haec scribit: *οὗτος δὲ ὁ Ἀρίσταρχος σύγχρονος ἦν Εὐριπίδῃ, ὃς πρῶτος εἰς τὸ νῦν αὐτῶν μῆκος τὰ δράματα κατέστησεν.* »Aristarchus, »aequalis Euripidis, primus fabulis statuit eam longitudinem »quae nunc recepta est." Hoc quo spectet, dubitatur. Welckerus putat, Aristarchi operam eodem spectasse quo Sophoclis illud institutum de quo egimus: ergo utriusque communem hanc operam fuisse, quod pro tetralogiis singulares fabulae sunt inductae [51]. At haec sententia jure displicuit Bernhardyo, nec satis congruit Suidae verbis, siquidem tetralogia ab uno dramate non longitudine, sed numero potius differt. Verum *τὸ μῆκος* non accipiendum est de *mensura fabularum* sive de numero versuum cujusque tragoediae; haec enim numquam

[51] Vid. Welcker, die Griech. Trag. p. 932. Bernhardy, Grundriss der Griech. Lit. II, p. 594.

Digitized by Google

stricte terminata fuit; sed intelligendum de *mensura actionis*, sive de temporis spatio quo res in scena acta comprehendatur. Hanc mensuram τὸ μῆκος appellat quoque Aristoteles in Arte Poëtica, ubi aliud epopoeae, aliud tragoediae spatium esse ostendit: ἔτι δὲ τῷ μήκει (διαφέρουσιν)· ἡ μὲν γὰρ (τραγῳδία) ὅτι μάλιστα πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν, ἡ δὲ ἐποποιία ἀόριστος τῷ χρόνῳ. Tragoediae argumentum dicit unius fere dici spatio contineri; epopoeae vero tempus non esse definitnm. Addit vero, antiquiores tragicos hoc discrimen parum servasse: καίτοι τὸ πρῶτον ὁμοίως ἐν ταῖς τραγῳδίαις τοῦτο ἐποίουν καὶ ἐν τοῖς ἔπεσιν [52]. Intelligitur ergo his Suidae verbis decantata illa *unitas temporis*, quae ab antiquioribus minus anxie servata, ab Aristarcho Tegeate demum, ut ex illo discimus, constituta est tanquam regula, quae deinde vulgo recepta est.

---

[52] Aristot. A. P. cap. V, § 4, ed. Ritt. cf. Schlegel, Dramat. Vorles. X. T. II, p. 99 sqq.



Digitized by Google

EPIMETRUM.

Exhibita hac disputatione, orta est mihi cum uno sodalium, cujus eruditionem aeque ac humanitatem maximi facio, controversia quaedam de Suidae verborum interpretatione a me exposita. Caput quaestionis erat de significatione τετραλογίας, quam ego interpretatus sum quatuor dramatum commissionem sive arctiore sive laxiore vinculo cohaerentium, ille contra, Welckero assentiens, strictius accipiendam censebat de quatuor fabulis argumenti continuatione junctis. Et quod ego pro mea sententia attuli Thrasylleae tetralogiae exemplum (p. 8), id potius contra me facere contendebat: Thrasyllum enim in Platonicis dialogis κατὰ τὴν τραγικὴν τετραλογίαν ordinandis id spectasse, ut dialogos argumento convenientes componeret. His ego respondebam, istam convenientiam interdum satis laxam esse, velut quum unâ tetralogiâ consociantur *Parmenides*, *Philebus*, *Symposion*, *Phaedrus:* tali ratione potuisse etiam quatuor dramata componi, inter quae non argumenti perpetuitas, sed aliqua consilii aut sententiae conjunctio intercederet. Addebam alia, quae repetere non est necesse. Mihi res satis liquida videbatur; an tamen illi argumenta mea

Digitized by Google

satisfecerint, dubito: quippe manet semper in Thrasylleis illis tetralogiis aliqua, qualiscumque sit, *argumenti* similitudo, quae inter diversa dramata non obtinet.

Interim scriptione hac jamdudum typis exarata, necdum tamen edita per feriarum intercapedinem, allata mihi est BOECKHII, v. cl. commentatio inserta in Indice Lect. Univ. Berol. a. 1841—1842, quam diu frustra exspectatam jam aufugisse putabam; quare, ut supra dixi, summa ejus sententiae aliunde cognita fueram contentus. Ipsa vero libelli lectio partim gaudio mihi fuit, partim molestiae: gaudebam, quum viderem in multis argumenta nostra concinere; dolebam vero, quod intelligebam, eo prius lecto, potuisse a me nonnulla strictius aut planius exponi; rursus gaudebam, quod illius disputatio non omnem mihi materiem praeripuisset, sed plures quaestiunculas a me tractatas aut intactas reliquisset aut breviter tantum perstrinxisset.

Universe Boeckhius mecum consentit in interpretandis Suidae verbis et in redarguendis dissentientium argumentis, etsi diversa via et dissimilibus usus exemplis. Praesertim vero auxilio mihi venit ad id quod modo tangebam, de Thrasyllea tetralogia, quum ostendere studet, inde nequaquam effici posse, tragicam quoque tetralogiam quamlibet idem tractasse argumentum. Acute enim animadvertit, ut ipsius utar verbis, eos, »qui ad tragoediae similitudinem consociare aliorum opera in trilogias et tetralogias constituerunt, non potuisse non *argumentum* spectare, quod in eo solo esset caussa posita quare ista conjunctio fieret; ...... sed tragicae tetralogiae, etiamsi nulla iis argumenti conjunctio inesset, vel ea sola re unum corpus efficere potuerunt quod *una didascalia* commissae in scenam erant." Argumentatio haec adeo justa mihi videtur, ut credam eos, quibus mea

Digitized by Google

ratio minus satisfecerit, huic certe assensuros. Quare fatendum erit, Thrasylleam tetralogiae definitionem, si non pro me est, saltem non contra me valere.

Hoc autem omisso, manet dubitatio, utrum veteres grammatici *τριλογίαν* et *τετραλογίαν* de continuis tantum fabulis usurparint, an de diversis etiam. Rem testimoniis demonstrare non sinit testium penuria. Nam quod e pluribus didascaliis quadripartitis quae memorantur, in scholiis hae solae nominatim *τετραλογίαι* appellantur, in quibus est argumenti continuatio, id casui vel alii rationi potius quam verbi hujus usui tribuendum est, ut jam Boeckhius ostendit (p. 5). Itaque ad rationem confugiendum. Ego sic ratiocinatus sum: Quum jam a principio quadripartitae didascaliae edi solerent vel ejusdem vel diversi argumenti, probabile est, ipsam quoque appellationem, quae serius rei imposita est, latiore hoc sensu nuncupatam esse. Re denuo perpensa, addo, videri fortasse antiquiores grammaticos vocabulum illud strictius, recentiores vero laxius usurpasse. In quam opinionem me adducit locus ille in scholiis Aristoph. Ran. 1124 (ed. Didot.), ubi de Orestia sermo est: *τετραλογίαν φέρουσι τὴν Ὀρέστειαν αἱ διδασκαλίαι, Ἀγαμέμνονα, Χοηφόρους, Εὐμενίδας, Πρωτέα σατυρικόν. Ἀρίσταρχος καὶ Ἀπολλώνιος τριλογίαν λέγουσι, χωρὶς τῶν σατυρικῶν.* Ratio, cur hi grammatici non tetralogiam sed trilogiam illam dixerint, demta fabula satyrica, fuit nimirum, quod haec dissimilis esset argumenti; et fortasse ideo generatim satyrica dramata, ut diversi generis, a tragoediis segregaverint et has in trilogias composuerint, quod e plurali numero *χωρὶς τῶν σατυρικῶν* conjicias; contra vulgares didascaliae, quae in scholiastae manibus erant, tetralogiam appellarunt, annumerata satyrica fabula, quia haec cum illis una commissione edita esset. Ergo qui trilogiam fecerunt, magis argumenti, qui tetralogiam, com-

Digitized by Google

missionis rationem habuerunt; illi strictius, hi laxius vocabulum usurparunt. Ut autem ad Suidam revertar, in hujus loco tetralogiam latiore sensu dici de qualibet quadripartita didascalia, id tam oppositum δρᾶμα πρὸς δρᾶμα quam ceterae rationes a me allatae (p. 9. sq.) satis, opinor, declarant.

At novam horum verborum explicationem proposuit nuper vir cl. C. FR. HERMANNUS, in censura libri, quem scripsit Ad. Schöll de Sophoclis vita et scriptis, inserta Annal. Crit. Berol. a. 1843, T. I. p. 836 sq. Hic censet, Sophoclis illud institutum spectasse tantum ad fabularum edendi ordinem, numerum vero immutatum mansisse: nempe prius solitum fuisse, ut totae deinceps tetralogiae singulae singulis diebus docerentur; illum vero instituisse, ut quaternae cujusque tetralogiae partes in quatuor ludorum dies partirentur, atque ita singulae earum cum singulis certarent: hoc esse illud δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, *tetralogiarum* certamini oppositum. Haec sententia, quod ad agonum ordinem attinet, a mea non multum distat. Nam tetralogias, continuas saltem, totas deinceps aliam post aliam datas esse, contra singulas fabulas singillatim certasse, mea quoque opinio est, quam p. 24 sqq. exposui. Intra hoc vero illam Sophoclis mutationem constitisse, non puto. Nam primum oportuit ita semper quatridui spatium tragicis agonibus datum esse, quod ut interdum factum sit, plerumque tamen obtinuisse ne ipsi quidem Hermanno probabile videtur: et jure, credo. Deinde, hoc recepto, quid loci relinquitur paucioribus fabulis, quid singularibus tragoediis, quas tamen nonnumquam exhibitas esse non magis potest negari quam probari quaternas usque datas esse? Hujus igitur instituti auctor esse aliquis debuit; quis potius quam Sophocles, in quem illud et ex Suidae testimonio et ex ipsa re maxime convenit?

Digitized by Google

Praeterea etiam hoc in disceptationem venit, quod dixi (p. 20) probabile mihi videri, post Sophoclis illud institutum licuisse poëtis non tantum paribus tragoediis certare, sed etiam dispari numero, hunc una, hunc pluribus, dum singillatim judicarentur: quod idem in comicorum certaminibus, item in alio agonum genere obtinuisse videremus. Huic meae opinioni aliquid momenti addet Boeckhii sententia, verosimile putantis licuisse uni eidemque poëtae non tantum singulas fabulas, sed etiam »plures singillatim in scenam committere atque his una secum et cum aliis certare, quod certum est factum esse in comicorum certaminibus" (p. 7). Etsi ille hanc libertatem non generatim concessam, sed ad certum tantum ludorum genus coarctatam fuisse arbitratur: quae opinio quam infirmo nitatur fundamento, supra declaravi (p. 9 sq.).

In eo quoque Boeckhium mecum convenire video, quod improbavi BODII sententiam, tetralogiarum partes in quatuor diversa Dionysi festa divellentis; idem ille improbat alio usus argumento, nempe didascaliâ, quam nominat schol. Aristoph. Ran. 67, edita illa Dionysiis urbanis. In hoc vero a me dissentit quod censui, soluto tetralogiarum vinculo, etiamsi quaternae fabulae ederentur, eas tamen singillatim δρᾶμα πρὸς δρᾶμα certasse (p. 24 et 27). »Obstat huic sententiae, inquit, quod et florente Sophocle et aetate valde provecto, quoties fabularum quaternionem editum scimus, non singulae fabulae judicatae sunt, sed integrae tetralogiae:" idque efficit e didascaliarum exemplis supra p. 5 sq. a me commemoratis, in quibus poëtae tragici, qui tetralogiis vicere, nominantur. Atqui ex eo quod, exempli gratia, aliquando Xenocles exhibitis quatuor fabulis, *Oedipode*, *Lycaone*, *Bacchis* et *Athamante*, primas, Euripides totidem fabulis, *Alexandro*, *Palamede*, *Troadibus* et *Sisypho* secundas tulit (Aelian. V. H. II, 8 sq.),

Digitized by Google

non sequitur, totam utriusque tetralogiam primam vel secundam judicatam esse; sufficiebat unam ex his fabulam laurea donatam esse, ut poëta quaternione suo victor renuntiaretur. Cui sententiae favent, opinor, praeter alia rationes supra (p. 24) a me propositae.

Et haec quidem hactenus. Caeterum nolo equidem credere, me in enucleanda hac quaestione, intricata sane et obscura, verum plane perspexisse; satis habebo, si haec disputatio valuerit ad antiquitatis indicia diligentius examinanda et ad temperandum nonnullorum studium, qui ingenio suo nimis indulgentes speciosas conjecturas pro indubitatis testimoniis amplectuntur et venditant.

Digitized by Google

Digitized by Google





Fr

Digitized by Google


Digitized by Google